



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Viri Doctissimi Professoris In Academia
Ingolstadiensi Orationvm. Volvmen ...**

Turner, Robert

Coloniae Agrippinae, 1625

13. Gratiarum actio post disput. Philosophicam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69519](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69519)

ROBERTI TURNERI
GRATIARVM ACTIO POST DIS-
putationem Philosophicam, Romæ
habitam.

ORATIO XIII.

DE agendis gratiis laborent illi, qui id volunt, quod non possunt: quid morer ego, qui id tantum volo, quod possum? Nam si Dei sit quod sum, Deo quod sum, consecro libenter: si Gregorij sit, quod in collegium hoc ascitus progressus fecerim in moribus, pietate ac his literis interioribus Gregorio promitto, id totum, quod possum horum morum ac literarum subsidio. Si Patrum Societatis Iesu sit, quod me cohibuerint intra lineas officij, imbuerint pietate, tinxerint philosophia, Patribus redderem profecto hæc omnia, nisi sic Ecclesiam irrigarent, suis ingenij, doctrinæ, pietatis fontibus, ut quo ex istis hauriunt plures, eo hi pluribus fluant foelicius. Vobis, Illustrissimi Cardinales, quid aut quomodo? Si vili gratiarum agendarum defungar munere, ingrata; si colligam aut beneficentiæ aut benevolentia laudes, infinita; si cogitem inferiora vestris meritis, stulta; si pollicear paria, insana erit oratio. Quo me vertam? Superiora minantur ruinam, inferiora stultitiæ notam, æqualia vesaniæ mentis turpiorem labem. Sed soluto sumi animo: malo prudenter cedendo vincas ac victas dare manus vestrae humanitati ac clementiæ, quam pugnaciter contendendo vinci turpius à vestra facultate ac potentia. Vobis reliqui Auditores, mei estis: ego vicissim vester sum. Par reddo pari, aut si quid expectatis maius, facite ut illud maius adsit, ac illud vobis tum promitto libere, quam soleo omnia amicis impartire libenter.

f 2

RQ.